

# PRAESBYTER SINENSIS, MISSIONARIUS, NOTARIUS APOSTOLICUS, MERITISSIMUS LINGUAE LATINAE CULTOR<sup>1</sup>

*In alio loco huius fasciculi inuenietis, o lectores, Constitutionem Apostolicam "Veterum sapientia" de lingua latina provehenda et Ordinationes S. C. de Seminariis ad dictam Constitutionem in praxim ducendam. Horum documentorum amplitudo nos impedit a commentariis in singula praecepta edendis; eorum loco sequentem notam publicamus in qua sermo est de praesbytero sinensi Andrea Ly, qui apostolicos labores cum latinitatis cultu eximie coniunxit (Nota redactionis).*

Ecclesia valde exoptat ut commentaria de rebus sacris latine exarentur ut vitentur "profanae vocum novitates" necnon "in dogmata varietates, ambiguitates atque etiam perversiones" eademque perlustrari possint a sacris cuiusvis gentis et linguae ministris. Quin immo, Sacerdos qui cum Ecclesia sentire velit, non verebitur linguam latinam palam excolere eademque uti in ecclesiasticis coetibus. Quibus subsidiis, adiuti, viri ecclesiastici motu; obsequentur qui, duce pso VICARIO CHRISTI, provehere magis magisque in dies contendit linguae latinae studium et usum, ad pristino decori redintegrandum praeclarum hunc Ecclesiae thesaurum<sup>2</sup>.

Commoda inde oritura omnibus patescunt, siquidem ductu sermonis Ecclesiae proprii, Clerici adire poterunt sacrae Traditionis fontes, ac nedum intelligere, sed etiam interne sapere documenta magisterii ecclesiastici. Huc accedit quod inde sacrorum administri mirum in modum parantur ad linguam latinam adhibendam "in maioribus discendis disciplinis, in conscribendis ecclesiasticis documentis, et epistolis, in epistolarum commercio habendo, cum fratribus ex clero aliarum gentium, denique in discepcionibus eccle-

---

<sup>1</sup> Fontes praecipui: 1.º DIARIUM ANDRAEAE LY, (1746-1763). Textus latinus editus cura A. LAUNAY. Typis Nazareth Hong-Kong, 1924, 677 pag. 2.º OLICHON (Illmus D. Armandus): Aux origines du Clergé Chinois. Le Pretre André Ly, Missionnaire au Se-tchoan (1692-1755). Paris, 1933, 3.º SEDES (Jean-Marie) Une grande ame sacerdotale: Le Pretre chinois André Ly, (1692-1777). Lille. Quoties inter cancellos recensetur pagina, Lector remittitur ad DIARIUM ANDRAEAE LY.

<sup>2</sup> Constitutione Apostolica, die 22 februarii 1962, sollemni ritu in Basilica Petriana sancita, Vicarius CHRISTI, IOANNES XXIII, latinae linguae studium et usum a neglectu et impugnationibus vindicavit, ibique documenta tradit quibus haec communis Ecclesiae vox pristino decori restituitur uti Ecclesiae lingua et cum Ecclesiae vita perpetuo coniuncta. Cf. L'Osservatore Romano, 24 februarii 1962. Acta Apostolicae Sedis, 1962, fasc. III, p. 129-135